



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

De Auxiliis gratiæ homini in vita religiosa attributis. Cap. xiv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

tam innocentia, vitam castimonia, vitam simplicitatis, omniumque virtutum. Cum Christo resurreximus, in ipso viuamus, in ipso ascendamus, ut serpens calcaneum nostrum, quod vulneret, in terrenis reperire non possit.]

Qui ergo hanc mortem, & hanc vitam profiteris, morete actibus mortis, qua mortuus es, & viue vita, qua, habitu & professione viuis. Quis adeo despicit (ait Chrysostomus) vt mortuo corpore, corpori sepulto, aut famulos coemere, aut aedes struere, aut pretiosa indumenta comparare cupiat? Et, vir similitudinem ad propositum perficiam, Quis adeo infans est, vt viuenti, corpori, nec cibum, nec vestem, nec domum parare studeat? Hoc autem tu facis, dum in religione positus, non spiritualiter, sed carnaliter viuis. Es enim tu veluti duo, quoniam alter mortuus est saeculo, alter vero viuit Christo. Sed illi mortuo, vel (vt clarius loquar) tibi mundo mortuo, mundana sollicita queris, delicatos cibos, pretiosas vestes, pecunias, & equos, & apparatus saecularem paras, honores, laudationes, applausus, & dignitates conquiris, & tibi viuenti iam Christo, nec orationis cibum parare, nec virtutum vestes affluere, nec domum cordis tui, in qua pacate habites, adificare studes.

Et hic miseriam illa Salomone animaduersam conspicio. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines; vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extranscens vorabit illud.] Hoc malum sub sole est, neque enim vsque ad te peruenisset si supra solem, & super omnia mundana tuos affectus (vt decebat) & cogitationes attolleret; & frequens apud eos, qui ac si essent homines de prudentia, ac rerum peritia se iactant, quibus te ipsum adiungis, eo ipso quod mundum reliquisti. Hoc autem malum, & haec miseria tibi euenit, si in religiosa vita saeculares adhuc retines mores. Tu es enim ille vir, cui Deus diuitias, substantiam, & honorem contulit, & ob magnam negligentiam tuam, vtendi his bonis non habes potestatem. An non diuitiae sunt, & maxima, ingentia illa beneficia superius commemorata, quae in statu religioso continentur? An non diuitiae sunt alia dona caelestia, quae iam explicare pergitur? An non diuitiae sunt auxilia illa diuina, omnibus religiosis in communi praerogata, quorum praesidio alij fratres tui profecerunt spiritu, & ad magnum perfectionis gradum peruenierunt? An non est ampla substantia tot perfectiorum exempla, quae te instruunt, adiuuant, & ad imitandum instigant? An non est honor ille, qui magnatum, & regum honorem excelsit, quo vniuersi te prosequuntur, quia viri spiritualis habitum gestas? Num verum non est nihil tibi deesse, vt sanctae viuas, & vitia ac peccata tua funditus perdas? Et tamen laqueis tepiditatis illigatus, has omnes diuitias habes otiosas, quas extraneus, id est, Diabolus, deuorat, dum eas inutiles ac infructuosas in te esse considerat. Ista sunt diuitiae conseruate in malum domini sui; de quibus sic per Salomonem locutus est Dominus. Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiae conseruate in malum domini sui. O infirmitas periculosa, o languor pessimus has veras diuitias possidere, quibus iusti vitam beatam mercantur, & illis non vitam sed ignominiam, & vitam spiritualis discrimina, propriam salutem non curantibus parata mercari. Quoddam genus languoris est, quo cibi saluberrimi stomacho ingesti in pestimos humores conuertuntur, qui natu-

ralem colorem obruunt, & paulatim vitam eripiunt. Talis est aegritudo auaritia, quae dum auarus multas diuitias deuorat, & numquam liberaliter erogat, in diuitiam & immisericordiam commutat. At haec infirmitas est multo nocentior, quia dona Dei tam magna in sudario tepiditatis ligasti, nec, vt merita cummlarent, ad mensam attulisti, quanto peius est meliora & pretiosiora suo emolumento priuare. Vide ergo tu qui religiosa uocationis possessor es, ne eam serues in malum tui. Quod autem sis hoc malum, audi: Iudaeis non excipientibus Christum, dictum est, Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. In nomine autem regni Dei, Dominus vel seipsum, vel Ecclesiam, vel sacra Scripturae verum sensum intellexit. Hoc ipsum erit malum tuum si spiritualibus hominis diuitijs negotiari contempleris. Nam forte Christus ipse te deseret; forte, si non ex Ecclesia, & ex securissima eius arce, nempe ex stara religioso deturbabit; forte a luce rerum spiritualium, qua sustentabaris, eiiciet. Si ergo audisti a Domino te vocante hanc vocem; Viue, in amplius factore vitiorum, & squalore peccati fordescas, sed viue tamquam inuitatus, & adductus ad vitam.

De auxilio gratiae homini in vita religiosa attributis.

CAPVT XIII.



ITA haec, quam statum religiosum suscipientes aggressi sumus, non est vita bonorum indiga, sed opum, ac donorum caelestium satis abunde referta. Cum enim sit veluti palatii regale, & domus magni Dei nostri, qua verus Salomon Christus extruxit, & consecrauit ad adolendum rationis incensum coram Domino, & fumigata sanctorum desideriorum aromata, & ad propositionem panu, hoc est, bonorum operum, sempiterna: qua erat, vt famuli, seu antici huius domus Dei, quales sunt religiosi, non essent pauperes, id est, spiritualibus bonis carentes, sed diuites, qui huiusmodi bonis, ac diuinis donis affluerent. Has autem spirituales opes Dominum animae religiosa largiter suppeditasse, verba sequentia subindicant Multiplicatam (inquit) quasi germen agri dedi te, & multiplicata es. Haec multiplicatio diuitias amplissimas, id est, gratiae subsidia, quae religiosi dantur, significat. Statim enim atque Deus aliquem in hunc praestantissimum statum admittit, instruit illi amplissimam domum, parat speciosissimam suppellectilem, tribuit copiosas diuitias, vt tamquam filius regis habeat, non tam quod liberaliter insumat, quam quod gaudia caelestia lucretur. Harum diuitiarum nomine, quibus anima Deo dicata multiplicatur, gratiae auxilia, & influxus intelligo: Sunt quippe, non solum comites, sed etiam omnium actionum virtutis ac vniuersae perfectionis exordia. Taceo nunc illa manentem affectionem, animo infusam quam gratia nuncupamus, quae non efficit Dei amicos, diuinaque natura confortes. Praeterea virtutes, tum intelligentiae, tum voluntati tum appetitui inditas, sodales, & pedisse quas gratiae, & charitatis. Sola illa gratiae auxilia commemoro, quae in actione consistunt, & merito appellauerim actiuosa, quia animam mouere, & instigare non cessant, vt in dies meritis crescat, & virtute proficiat. Huiusmodi autem sunt afflatus quidam diuini, qui intellectum illustrant, & suauiter de bonis erudiunt, & cuiusque rei

Chryf. ad Col. 3. 10. 7.

Ecc. 6. 1.

Matt. 27. 43.

1. Paral. 24.

Ezec. 16. 17.

Ecc. 5. 12.

aut valorem, aut vilitatem aperiunt, incitationes, & promotiones voluntatis, quæ ipsam roborant, infligant, & ad opem perfectionis inflammant: vires, & velut nervi ipsi corpori adiecti, vt imbecillitate seposita, onera disciplinæ religioſæ & abſtinentiæ, ac vigiliarum, & aliorum laborum afflictionem ſupportet: ac tandem ſubſidia, prout cuique opus eſt, à Chriſto redemptore noſtro mirabiliter attributa. Nam egregie dixit Baſilius. Omnis naturæ, tum in hac creatura viſibili, tum in intelligibili, ad hoc, quod conſiſtat, Dei cura egentis, conditor eſt Sermo, videlicet vnigenitus Deus, quantum cuique opus eſt opem diſtribuens. Varia quidem & omnis generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio iuuantur, vnicuique tamen congruè, iuxta neceſſitatis modum, auxilia dimerit. Eos, qui in tenebris ignorantia detinentur, illuminat; propterea lumen verum dicitur. Iudicat, iuxta operum dignitatem remetiens præmium, ob id iudex iuſtus dicitur: Pater enim neminem iudicat, ſed omne iudicium dedit filio.] Erigit è ruina, qui è ſublimitate vitæ ad peccatum delapſi ſunt, ob id vocatur reſurrectio. Omnia autem facit, contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans. Paſcit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit. Quæ non ſunt, ea facit vt ſint; condita conſeruat.] Quibus optime exponit, quid nomine auxiliariſ gratiæ, aur diuinorum auxiliorum, Doctores intelligant. Omne ſcilicet illud, quod per Chriſtum Saluatorem nobis datur, vt à peccatis ſurgamus, vt mentis cæcitate pellamus, vt in bono incipiamus, progrediamur, & perſeueremus.

Hæc autem auxilia, quanta ſint, & quàm abundè religioſo tribuantur, quis ſufficiet explicare? Certè hoc attentè cogitans, dicere cum Salomone compellor, Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti.] O quantus Theſaurus ſapientiæ in mente iuſti abditus, quo repente diues honorum ſenſum efficitur, & auratam mundi pellem agnoſcit, & quam alij tantopere exoptant, ipſe vt viliffimam ridet, & contemnit! O quàm ſuaue deuotionis oleum in iuſti voluntate reconditum, nam eo tamquam ſtrenuus pugil inunctus, in laborum certamine perſtat inſuperabilis! O quantis & quàm aſſiduis præſidiis anima religioſa roboratur, cuius ſtupenda mutatio, & tam breui tempore facta, illa auxilia, aut neſcire, aut non planè videre, minimè ſanè permittit. Poſt non multos dies, quòd quis religioſum habitum induit, quàm ſibi ipſi diſſimilis inuenitur! Delicatus adoleſcens, & inter delicias, & voluptates enutritus, qui lautè & opiparè veſcebatur, & molliſſimas veſtes inducat: iam cibus inſulſis, & male apparatus veſcitur, imò ipſa inedia & fame reficitur, & viliffimo ſacco, aut aſperſimo cilicio tectus, hilaris & lætus incedit. Voluptuoſus, atque illecebris ſuæ carnis addictus, iam honeſtatem amat, carnem flagris, vigiliis, & ciborum parcitate domat, & omnem ſenſum voluptatis exhorret. Ambitioſus, & honorum, ſamæ, ac dignitatum cupidus, iam pedibus proteri, & conculcati appetit, ignominiam amplectitur, & vilia obſequia, abiecta ſeruitia, & humiles functiones, non erubefcit. Opum & facultatum auidus, cuius pecunia ſitis vniuerſo huius noui orbis auro & argento ſatiari non poterat, ià pauperima tunica, & tenuiſſimo ytenſilium apparatu, expleta eſt, & libellum, aut ſtylum, aut aliquid ſimile in cella ſuperſtuum habere, vt immane crimen deuitat. Antea otioſitate diſſolutus, ià ſemper occupatus inuenitur. Loquax ſilèrij cenſuram amplectitur: Itacundus, tamquam onis manſueta, nec prouocatur iniuriis, nec læceſſitur contumeliis; nec conuitiis irritatur.

Raſſ. lib.
de Spiritu
ſancto c. 8.

Ioan. 5.
22.

Pro. 21.
20.

Hæc externa ſunt, ſed quis internam animi mutationem intelligit? Quàm diſſimiles cogitationes, quàm diſparia deſideria, quàm alia voluntates mentem religioſi occupant! Quid cogitat? An quomodo ditelcet? An quomodo fetridum corpus ornabit, & voluptatibus ac deliciis explebit? Nequaquam. ſed qua ratione commiſſa peccata diluet, affectus vincet, & ſemetipſum abnegabit. Quid deſiderat? An dignitatem ſæcularem conſequi, an honorem Eccleſiaſticum adipiſci; an dominium in alios, & principatum vſurpare? Minimè: ſed ſui contemptum, occupationem monaſterij vilioſam, & opportunitatem ad Deo vacandum concupiſcit. Quid animo proponit? An vitam in corporis cura & in occupationibus rerum temporalium inſumere? Nullo modo, ſed in allecutione virtutum, in aſſidua ſanctorum lectione, in ſacrarum Scripturarum ſtudio in iugi rerum cœleſtium contemplatione, & in auxilio proximorum, ac in æternæ gloriæ expugnatione occupari. Paupertatem non timet, quia pauperes Chriſtus beatorum appellat. Laborem non fugit, quia nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo non cogitat, quia fides, aut vera de Deo fiducia concepta, ſamem non metuit. Non horret ſuper nudam humum exca ieiuniis membra collidere, quia Dominus ſecum iacet: ſqualidi capitis incultam caſaſſem non perhorreſcit, quia Chriſtus ſui eſt capitis ornamentum, Cœnobij ſilentium, & cellæ ſecretum eum non terret, quia paradifum mente deambulat. Scabram ſine balneis cutè irridet, nam qui in Chriſto ſemel lotus eſt, corporis lotionem non indiget. Vniuerſa mundi incommoda paratus eſt ſuſtinere: optime namque nouit, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Hæc omnia quid ſunt, niſi gratiæ fructus, diuinorum auxiliorum effectus, cœleſtium diuitiarum compendia, quibus quaſi germen agri multiplicatur anima religioſa, & in veræ nobilitatis culmen euehitur?

Tam ſubita, & inopinata cogitationum diuerſitas tanta diſſimilitudo voluntatum, tam mirabilis operum, & curarum diſparitas, non à natura proceſſit, ſed à gratiæ manauit, non opus eſt folius hominis, ſed opus miſericentiæ Dei. Si enim non poſſumus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] & nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, quiſnam ſuis viribus poterit, non iam magna cogitare, ſed inſignia perfectionis opera facere? Quis valebit Chriſtum Ieſum, nõ tantum verbis dicere, ſed opere conſiteri, & in ſe ipſo vitam eius ſanctiſſimam, & mores immaculatos exprimere? Cùm ergo hanc mutationem meditamur, quam Dominus, tum in his, qui nos præceſſerunt, tum in fratribus noſtris quotidie facit, eius auxilium, ac miſericordiam fateri cogimur, & cum ingenti admiratione clamare compellimur, Deus, auribus noſtris audiuiſtus, patres noſtri annunciauerunt nobis opus, quod operatus eſt in diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua gentes diſperdidit, & plãtaſti eos, afflixit populos, & expulſiſti eos. Nec enim in gladio ſuo poſſederit terram, & brachium eorũ nõ ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam cõplacuiſti in eis.] Humana vires Domine, ad hoc opus præſtandum, nequaquã ſufficiunt, brachium carnis hanc ſtupendam mutationem hominis carnalis in ſpiritualium, præſtare non poteſt: ſed fortitudo tua, & fauor tuus, victiorum gentes deiecit, virtutes inſeuit, peccata depulſit, & vitam perfectam, à ſæculique miſeriis auullam, inſtituit.

Mat. 5.3

Rom. 8.
18.

1. Cor. 3.
5.

1. Corint.
12.3.

Pſal. 43
2.

Hoc autem idem, Domine, quia nos dilexisti, nos ex dilectione vocasti, & in nobis tuæ misericordiæ diuitias demonstrasti. Fatemur ergo, quia iam cepimus, & alios, quam antea, nos esse cognoscimus; sed non nobismetipsis hoc opus ascribimus, quia te vera hæc mutatio dextera excelsi.

Verè opus est Dei, quod anima in se ipsa præsentens, suo conditori ascribit purissimo humilitatis affectu, & tantas gratiæ opes sibi tam citò concedi cum ingenti stupore miratur. Quis enim in se opera Domini non miretur, (vt Cassianus ait, hoc argumentum elegantissimè tractans) eum in satiabilem vètris ingluuiè, & sumptuosam gulæ, potenciosamque luxuriam, ita in se viderit esse compressam, vt vix ipsum exiguum, ac vilissimum cibum, rarè inuitusque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, cum illum ignem libidinis, quem naturalem antea, & velut inextinguibile esse credebatur, ita refriguisse persenserit, vt ne simplici quidem corporis motu se sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cum homines quondam diros, ac truculentos, qui ad summum iracundiæ furorè, etiam blandissimis subditorum iritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, vt non solum iam nullis commoueantur iniuriis, sed etiam cum illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis planè non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu: Quia ego cognoui, quod magnus est Dominus] cum vel se, vel alium quempiam, ex rapacissimo, liberalem; ex prodigo, continentem; ex superbo, humilem; ex delicato, ac tenebro, squallidum, hirtumque perspexerit, & egestate, atque angustia præsentium rerum, etiam voluntariè perfruente?

Meritò verò religiosus tanta gratia cumulatur, & tantis prædiis è celo demissis roboratur, quoniam hæc omnia postulat status, quem Dei amore succensus atripuit. Si enim Dominus aliquem ad magnam dignitatem euehens, solet ei vires necessarias prestare, vt dignitatem illam optime, aut ministeriū exerceat. Si Dauidi attribuit robur, vt Philistæum superbum prosterneret. Si Ieremie dedit audaciam, vt Iudæ Reges, Principes, & Sacerdotes argueret. Si Ezechielii suppediit autem faciem valentiorè, & frontem duriorè faciebis & frontibus eorum, quos vaticinatione sua increpare debuerat. Et vidit Iudith, vt Holofernem inescaret, contulit splendorem. Si quos ad prædicationis ministerium vocat, idoneos facit ministros noui Testamenti, vt magnam oneris sibi commissi pondus sustineat: Quid ni religiosus ad statum perfectionis vocatis ea prædia, quæ diximus, abundanter contribuatur, sine quibus statui suscepto satis esse non possunt? Illis imperatum est, vt sint seueri pædagogi carnis suæ, cõtemptores sæculi; persecutores inanis gloriæ; Diaboli, & suarum technarum irrisores. Præceptum est illis, vt virtutes colant, orationi se dedant, animi puritatem inquirant, perfectionem sectentur. Opera pretium ergo fuit, vt ea luce perfunderentur, ea fortitudine animarentur; eo vniuersarum rerum contemptu ditarentur, quo possent virtutem ardentissimè cupere, Diabolum vincere, sæculum conculcare. Et in hoc beneficio, tum religiosorum diuitiæ, tum sapientia Domini largientis elucet, qui statum paupertatis, statum opum fecit, & innumerabilibus diuitiis amplificauit.

Quis namque neget, religiosam vitam, paupertatem amare, paupertatè amplecti, rerum terrenarum indigentiam profiteri, quæ cultores suos rebus, quas possidebāt, spoliat, & vt eas à se abdicent, & non solum opere, sed multò magis mète, & affectu abiiciat,

A constanter iubet: In hac autè vita mundinæ affluentia contemptrice, & paupertatis amatrice, dicitur tibi, o homo, quod multiplicatus es, & opibus immentis ditatus, non quidem opibus terrenis, quæ nec molestiam curarum auferunt, nec habendi sitim extinguunt; sed spiritualibus diuitiis, quæ solæ (vt ait Augustinus) veræ diuitiæ sunt, & nostra desideria satiant, ac tranquillitate mentem afficiunt. Dicitur, inquam, tibi, & verè dicitur, quoniam ita multiplicatus es, vt habeas vnde tibi omnem virtutum suppellectilem abundanter compares, & cuius cælestis dignitatem conquiras. Nam si ille diues vocatur secundum sæculum, qui aurum & argentum habet, domos amplas & agros fructiferos possidet, aliis rebus pretiosis affluit, vestibus splendidis fulget, honoribus & dignitatibus tumet, & feruis & famulis constipatus incedit: quanto melius & verius es tu diues, o religioso vir, abundantissimis auxiliis cumulatus, vt illis tãquam diuitiis veris & solidis, aurum sapientiæ, & argentum diuinorum eloquiorum habeas, & rerum mandanarum instabilitatem & vilitatem agnoscas; cor Christi inhabites, omni aula regia spatiosus & pulchrius, in quo lætus, & vt in vita mortali fieri potest, securus quiescas; potentias tuas à rebus terrenis auillas tam quam fertiles agros possideas, ex quibus, non spinas & tribulos malarum cogitationum, sed copiosos mortificationis manipulos colligas, virtutum, velut pretiosarum vestium decore splendens, honore filiorum Dei gaudeas, & nõ vilissimis mancipiis, sed Angelicis Spiritibus comitatus incedas? Diues es illis opibus pretiosis, quas te nolente, fur non surripit, nec tinea corrumpit, nec ipsa naturalis fragilitas minuit.

Homo autem ita cælestibus auxiliis multiplicatus, ac diuinis opibus auctus, germine agri iure optimo comparatur, non quidem illi, quod statim ac exortum est, exurit, & arefcit; sed illi, de quo apud Isaiam legimus, Quia erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis. Hoc germen Domini Christus est, de quo alio loco scriptum est. Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Verè germen Domini, & fructus terræ; germen Domini, quia verbum Patris; & fructus terræ quia filius matris. Vnde Bernardus. Idem germen Domini, & fructus terræ, idem & ipse Dei filius, & fructus ventris Mariæ est, idem filius Dauid, & Dominus, de quo hodie gaudium eius impletum est, vnde olim precinens aiebat: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Quomodo enim non Dominus germen Domini? Idem tamen & filius eius, vt pote fructus terræ sublimis, fructus virgæ, quæ de radice lesse processit. Sed huic speciosissimo religioso confertur germine, & ad ejus similitudinè multiplicatur, Quia sicut ille gratiæ dona, gratis, & non ex meritis in principio suæ conceptionis accepit, vt opera mirabilia & stupèda pararet: ita iste diuina hausit adiumenta, à diuina bonitate prærogata in suæ vocationis exordio, quibus in hominem nouum mutatus, secundum spiritum viuaret, & opera carnis ablegaret. Adolefcit plane sicut germè agri, Nam sicut illud diuinum germen quotidie propagabatur: Proficiebat enim (si non habitu, ostensione tamen operationum) sapientia, & ætate & gratia apud Deum, & homines. Ita ad religiosum statum euocatus, dum quotidie pluuia gratiæ, & cælestium donorum irrigatur, sapientia proficit, cum ab infantium, hoc est, incipientium ignorantia, in proficientium & perfectorum cognitionem ascendit, gratia procedit, dum ab imbecillitate ad animi

robor,

Colla. 12. c. 12.

Psal. 134. 1.

1. Reg. 17. 32. Ierem. 1. 18. Ezech. 5. 8.

Judith. 10. 4. 2. Cor. 3.

Augu. ser. 35. de verbis Domini.

Matt. 13. 5. Iai. 4. 2.

Ierem. 23. 5.

Bern. ser. 6. de Ascens.

Psal. 109. 1.

Luc. 2. 52.

Ephes. 4. 13.

robur & fortitudinem transit. Etate prouehitur: nam à puerilitatibus sæcularibus eductus, & in senium senilem introductus, occurrit in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Verè igitur, o anima religiosa, tamquam germen agri multiplicatam dedit te Dominus, & multiplicata es, si quidem in initio conuerſionis tuæ, repente & fere sine vilo labore ad tantam amplitudinem ascendisti, & in possessionem tantarum opum admissa es, vt præ amore illarum diuitiarum, mundum vilipenderis, & vniuersa, quæ in sæculo splendent, non corpore tantum, sed multò magis animo, deserueris.

Quanta sit magnitudo ac sublimitas anime religiosæ.

CAPVT XV.



ON hic finem habent, o anima religiosa, tibi data beneficia Dei, sed postquam donis gratiæ, & auxiliis diuinis es multiplicata, nequaquam vilis & pusilla remansisti; sed grandis effecta es. Grandis dignitate, grandis viribus, grandis & merito. Et quidem de dignitatis magnitudine, postea dicemus, nunc verò virium & meritorum magnitudinem inspiciamus. Virium autem magnitudinem voco robur animi, parua despicientis, & vilia conculcantis. Quis autem hanc religiosi magnitudinem intelligit? Quis hanc granditatem explicare sufficit? Quis rogo maior est, qui diuitias appetit, an qui contemnit? Qui dignitates ambit, an qui despicit? Qui regnum concupiscit, an qui conculcat? Quis maior est, qui superbia elatus cum Lucifero intra semetipsum dicit: Ascendam super altitudinem nubium,] an, qui humilitate depressus, omnia, cum Paulo, arbitratu stercora, vt Christum lucrifaciat? Non dubium, quin incomparabiliter maior sit magna mundi contemnens, quam concupiscens, quoniam iste rebus aspectu magnis, re vera paruis, seruit, ille imperat: iste eas suspicit, ille despicit: iste sequitur, ille fugit: iste rebus caducis se inferiorem, ille se superiorem agnoscit. Et, vt rectè inquit Chrysostomus: Magna re vera est anima, si affectioni non seruit.] Illa autem suarum affectionum serua non est, quæ rerum labentium amore non tenetur, neque earum illecebris inescatur. Magna sanè est anima, quæ nec honoris vento & auræ popularis distenditur, nec voluptatibus ac deliciis impletur, nec rerum temporalium abundantia satiatur, sed solus Deus, incomprehensibile vtique bonum, eam replet, ac saturat. O quanta magnitudo solum Deum querere, solum appetere, solo Deo expleri posse, & alia omnia tamquam arida alimenta, & quæ sustentare non valent, auersari!

Sed hanc miram magnitudinem cum ipso religioso statu conquiret, quisquis verè & ex animo ei seipsum addixit. Est enim status hic, qui ab omnibus rebus mundanis abhorret, & sæculum præterit, atque contemnit. Est, qui sola cœlestia appetit, & Dei conspectum & possessionem concupiscit. Est, cui dictum est in Numerorum libro: In terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos. Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.] Quia licet aliquem censum, & aliquos

Isai. 14. 14. Philip. 3. 8.

Chryf. bō. 48. in Apōst.

Nūm. 18. 20.

agros pro victu fratrum in cōmuni possideat, quique tamen illorum omni abdicato rerum temporarium dominio, & solo tenui vsu rerum vilissimarum contentus, sine quibus minimè vita mortalis transigitur, ad summum bonum tantum anhelat, dicens: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.] Homo igitur in hoc statu constitutus, si tamen non contradicat, & suauiter cooperetur gratiæ Dei, vires & neruos acquirit, vt Pontificum infulas fugiat; Regum diademata rideat, nobilium luxus, gemmas, & pretiosa ornamenta subfannet, potentum diuitias detestetur: & his omnibus rebus spretis, summam filiorum Dei dignitatem ambiat, & sanctitatem, Dei que amicitiam, & familiaritatem suspiret. Hic est profectò magnus, qui magna optat, eximia & ingentia, scilicet diuina bona exquirat, parua verò, nimirum vniuersa temporalia pusillis derelinquit. An aliquis tam stultus est, qui magnum putet, quem formicæ & culices magnum existimant? Sed ille magnus corporis mole putabitur, qui giganti comparatus, meritò magnus vocatur, & illo non inuenitur inferior. Ita prorsus non magni sunt nobiles, non magni sunt illustres, & potentes sæculi, quos paruæ formicæ, & minuti culices, imperitum scilicet vulgus, & mundani homines, magnos iudicant; sed magni sunt humiles, magni sunt spiritu pauperes; magni sunt mundanarum rerum contemptores, magni sunt Deum amantes, & venerantes, quos filius Dei, magnus vtique gigas, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, magnos existimat.

Hi sunt ad instar Ioannis, magni coram Domino, qui vinum, & siceram non bibunt, & spiritu sancto replentur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israël conuertunt ad Dominum, Magni quidem coram Domino, nam si magni sunt in Scripturis diuinis (teste Origene) iusti, qui non transgrediuntur mandata Dei;] quantò maiores erunt, qui perfectæ mandatorum custodiæ adiciunt multa non debita obsequia, ad quæ, non præceptis impelluntur, sed igne charitatis incitantur? Magni coram Domino, quia sicut Magnates regni, coram summo Rege caput operiunt, non pisco, sed corona, nam cum sederint in circuitu sedis Dei circumamicti vestimentis albis, in capitibus eorum erunt coronæ aureæ.] In cuius signum modò caput radunt, & in modum coronæ detondent, vt hæc corona sit futuræ glorificationis insignæ. Vinum etiam & siceram non bibunt, quia curas sæculares, & mundanas voluptates nequaquam admittunt. Quid enim per vinum (inquit Beatus Gregorius) nisi cura temporalis exprimitur, à qua mens sæcularis cuiuslibet inebriatur vt ad inuisibilia cognoscenda, aut ex toro, aut penè insensibilis reddatur?] Et quid per siceram, nisi dulcedo & voluptas carnis intelligitur? Nam siceram (vt Theophilus Alexandrinus ait) est succus dactyli.] Sed hoc vinum, & siceram isti magni respuunt, quia non puerorum lacte, infirmorumque solatiis: sed perfectorum pane, diuinis scilicet consolationibus, reficiuntur. Quòd autem Spiritu diuino replentur, adhuc ex vtero matris suæ, ex his, quæ superius diximus, euidenter liquet. Nam ex quo copia mater religio in suo gremio suscepit, Spiritus sancti præsidis abundant, & gratiæ donis repleti sunt. Hi tandem, non tamquam priuati milites pro se ipsis tantum militant, sed sicut fortes & generosi duces alios Diaboli laqueis eripiunt, ad Dominum conuertunt, & in viam virtutis

Psal. 72. 26.

Psal. 118. 6.

Luc. 1. 15.

Orig. hom. 12. in Le. iii.

Apō. 4. 4.

Greg. in Cant. c. 1.

Theoph. lib. 3. allegoriarum in Euangl.

